

tur pœna quam (Deus) minatur, discitur amari præmium quod pollicetur: ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur; per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus.

3°. Deducit ad charitatem, justificationem et gratiam sanctificantem; ut patet tum ex Eccli. 1. 17. et 18. *Timor Domini, scientiæ religiositas: Religiositas custodiet et justificabit cor*; et 2. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas*; tum ex TRID., quod Sess. 6. cap. 6. timorem numerat inter actus dispositionis et præparationis ad ipsam justitiam; et Sess. 14. cap. 4. loquens de timore Ninivitarum subjungit: *et misericordiam a Domino impetrarunt*; ac tandem ibid. can. 5. definit: *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando.... amissionem æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursum... non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam,.... anathema sit*; tum ex AUG., qui L. de Catech. rud. c. 5. ait: *De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est*; et Tr. 9. in ep. Joan. n. 4. inquit: *Timor quasi locum præparat charitati*; comparatque ibidem timorem medicamento vulneranti et putredinem tollenti, quam sequatur charitas tanquam sanitas, et timorem setæ quæ sicut introducit linum, quando aliquid suitur, ita timor intrat, ut introducat charitatem etc. Sed actus efficaciter oppositus peccato, utilis ad varias virtutes acquirendas, ac perducens ad charitatem, justificationem et gratiam sanctificantem, est honestus ac licitus; ergo.

263. *Nec dicas* 1°. Psal. 18. 10. dicitur: *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi*; h. e. in patria: sed timor servilis non permanet in patria; ergo non est sanctus, seu honestus et licitus. *Conf.* 1. Timor servilis opponitur charitati; quia ex 1. Joan. 4. 18. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*; ergo. *Conf.* 2. Juxta S. AUG. L. cont. Adimant. c. 17. n. 2. non est honestus: *Hæc est, inquit, brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet*; ergo nunc saltem timor est inutilis, si non illicitus.

R. *Ad Arg. N. Cons.* Quia non sequitur ex eo quod aliquis timor sanctus permaneat in patria, alium timorem non esse sanctum, quia in patria non manet. Qualis vero timor in patria maneat, differunt inter se auctores: alii enim intelligunt *filialem*, seclusis imperfectionibus quas habet in via, et quatenus hic fuga est offensæ divinæ, non quidem secundum beatitudinis statum, sed secundum se et naturam creatam possibilis: alii improprium timorem seu *reverentialem* assignant, quatenus Beati ex consideratione divinæ excellentiæ profundissime demittunt se in Dei præsentia, et quemdam velut horrorem de illo concipiunt, vel quatenus ex admiratione de divina excellentia refugiunt curiosius investigare opera et consilia Dei.

Ad Conf. 1^{am}. R. prob. D. Charitas perfecta foras mittit timorem serviliter servilem C. simpliciter servilem *subd.* illum tanquam contrarium expellendo N. illum tanquam imperfectum vel excludendo vel ab imperfectione

anxietatis liberando C. Qui charitatem perfectam habet, non operatur amplius ex timore servili, aut certe non ex eo tanquam motivo præcipuo; quod timorem esse quid imperfectius charitate ostendit, non autem malum et inutilem; sicut nec ex eo quod visio beatifica excludat fidem, hæc mala et inutilis dici potest. Admitti etiam potest, manente timoris servilis substantia, quæ in fuga inferni vel privationis beatitudinis consistit, anxietatem et sollicitudinem a timore servili profectam sensim minui crescente charitate; quia, crescente charitate, crescit spes et fiducia in Deum: his autem crescentibus, anxietatem decrescere et pacem conscientiæ generari necesse est.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. Cons. Sequitur tantum, in Veteri Lege timorem, in Nova amorem prævalere; non vero timorem jam penitus excludi, sicut nec amor antea exclusus erat. Atque hoc ipsum testatur S. Doctor, de Morib. Eccles. L. 1. ubi c. 28. n. 56. ait: *Hæc disciplina quæ animi medicina est... in duo distribuitur; coercionem et instructionem. Coercitio timore, instructio amore vero perficitur ejus, cui per disciplinam subvenitur.... In his duobus Deus ipse, cujus bonitate atque clementia sit omnino ut aliquid simus, duobus Testamentis Vetere et Novo nobis disciplinæ regulam dedit. Quanquam enim utrumque sit, prævalet tamen in Vetere timor, amor in Novo.*

266. *Nec dicas* 2°. Timor servilis est pure naturalis et solis naturæ viribus partus; ergo non est supernaturalis, donum Dei et impulsus Spiritus sancti. *Prob. Ant. 1.* Timor nascitur ex amore creaturæ seipsam diligentis: sed hic amor omnino est naturalis, atque hinc et timor inde ortus. *Prob. 2.* Juxta AUG. L. de Gr. Chr. c. 13. *justitia legis dicitur justitia nostra* et naturæ viribus comparata, non autem Dei et ex Deo; quia ortum habet ex formidine pœnæ; ergo et timor pœnæ est ex nobis non ex Deo. *Prob. 3.* S. AUG. negat dari gratiam iis qui ex timore operantur, ut patet ex L. de Sp. et Lit. c. 8. n. 12. *Quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant*; et c. 29. *Timentibus pœnam absconditur gratia*; ergo et ipse timor non est gratia.

R. N. A. Nam timor servilis est species timoris divini, respicitque pœnas a Deo infligendas per fidem propositas; adeoque pure naturalis non est, cum cognitio proponens objectum sit supernaturalis: dein licet concedamus dari posse timorem servilem naturalem; non tamen eo sensu est naturalis, quasi non posset aut non soleret etiam inspirari a Deo et ex gratiæ principio elici, eo quod vitiosus sit aut naturæ duntaxat debitus, prout Adversarii intendunt.

Ad prob. 1^{am}. D. M. Timor nascitur ex amore creaturæ seipsam diligentis, h. e. bonum aliquod supernaturale sibi appetentis, vel malum aliquod supernaturali felicitati oppositum fugientis C. h. e. bonum aliquod mere naturale appetentis et aliud excludentis, vel malum huic felicitati duntaxat oppositum fugientis N. similiter D. m. Amor prior est omnino naturalis N. amor posterior C. m. sed N. *supp.*, talem necessario esse radicem timoris servilis.

Ad prob. 2^{am}. D. Justitia legis dicitur nostra et naturæ viribus comparata, non autem Dei et ex Deo, quia oritur ex formidine pœnæ serviliter servili C. simpliciter servili N. Sicut S. Doctor contra Pelagianos per justitiam Legis intelligit opus justitiæ ex sola externa Legis propositione, adeoque a

cogitatione et affectione interna mere naturali profectum; ac præterea sæpius accipit justitiam solum externam cum affectu interno peccandi, seclusa pœna, conjunctam: sic et timorem *serviliter servilem* intelligere debuit, quem non tantum mere naturalem sed et inhonestum ac perversum supposuimus.

Ad prob. 3^{am}. D. Negat dari gratiam iis, qui ex timore serviliter servili operantur *C.* qui ex timore simpliciter servili operantur *subd.* Negat dari gratiam propriam Evangelio *C.* gratiam Legi propriam, licet vere divinam et proprie theologicam *N.* Audivimus supra ex *Aug.*, prævalere amorem in *N. T.*, quod ideo lex amoris et simpliciter *Lex gratiæ* appellatur: ex quo tamen sicut non sequitur, aut a *S. Doctore* assertum fuit, nullum amorem fuisse in *T. V.*, sic nec deduci potest, timorem omnem servilem carere principio *gratiæ*.

267. *Nec dicas 3^o.* Qui culpam fugit propter pœnam, respicit se tanquam finem ultimum; cum unice consulat proprio commodo: sed se respicere tanquam finem ultimum est inordinatum et malum; ergo. *Conf.* Ut timor sit honestus et ordinatus, necesse est ut culpa timeatur magis quam pœna: sed qui ex solo pœnarum metu abstinere a peccato, e contrario plus timet pœnam, quam culpam; ergo.

R. N. M. Neque enim ejusmodi homo respicit se tanquam finem simpliciter talem, sed tantum tanquam *subjectum* cui bonum vult: neque tanquam finem ultimum, quia ipsum bonum et commodum suum non est finis positive ultimus, a quo scilicet abstrahit, sed ad summum finis proximus, non tantum ulterius referibilis, sed et virtualiter relatus, si ex amore concupiscentiæ ac spe beatitudinis æternæ oriatur.

Ad Conf. R. T. M. N. m. Primum quidem, quia Suarez cum aliis docet, neminem teneri semper et in omni statu fugere culpam magis quam pœnam, modo non excludat rectum ordinem ad finem ultimum seu Deum, nec fuga pœnæ impediatur fugam culpæ simpliciter et propter alias rationes. *Secundum*, tum quia non est necessario instituenda comparatio pœnæ cum culpa: tum quia ad hoc ut timor fugiat culpam propter pœnam, satis est si, natura prius et independentem a fuga culpæ, fugiatur pœna, et non vicissim: tum denique quia sicut servus, dum diligit dominum propter cibum, non diligit cibum magis quam dominum; et sicut fidelis, qui diligit Deum propter retributionem, non diligit retributionem magis quam Deum; sic nec qui fugit aut detestatur culpam propter pœnam, magis detestatur aut fugit pœnam quam culpam; cum intentio finis proximi et utilitatis non excludat finem ultimum et excellentiæ.

268. *Nec dicas 4^o.* Timor qui non excludit voluntatem peccandi, sed eam potius supponit, bonus non est, nec honestus: sed timor pœnæ est talis, ut constat plurimis *Aug.* textibus, quos *Jans. L. 5. de Gr. Chr. c. 27. 28. 29.* congerit; ergo.

R. 1^o. N. M.; quia simili argumento probaretur actum fidei informem, seu a peccatore adhuc charitate destituto elicatum, esse malum; quia nec is ex sese voluntatem peccandi excludit.

R. 2^o. N. min.; quia timor, de quo hic loquimur, id omne potest ac debet

excludere, sine quo ad finem quem intendit, nempe fugam æternæ pœnæ, pervenire nequit: sed si actualem peccandi voluntatem vel affectum non excludat, pœnam quam timet effugere nequit; quia maxime actualis interior peccandi voluntas vel affectus æterno supplicio punitur; ergo. *AUGUSTINUS*; ne sibi ipsi in textibus supra laudatis timorem commendanti contradicat, loquitur de timore *serviliter servili*; præsertim quia in locis a *Jansenio* allatis expresse designatur voluntas mala et affectus peccandi.

269. *Nec dicas 5^o.* Voluntas peccandi, qua quis detinetur, deponi nequit, nisi ex contraria voluntate benefaciendi, ut docet *S. Aug. L. 2. cont. Advers. Leg. et Proph. c. 7. n. 28.*: *Desiderium peccandi.... non extinguitur, nisi contrario desiderio recte faciendi; ubi fides per dilectionem operatur: sed talis voluntas nullo pacto haberi potest ex timore pœnæ, sed tantum habetur ex dilectione justitiæ; ut docet idem ep. 144. (al. 143. n. 5.) ad Anast. scribens: Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit; quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam; ergo.*

R. 1^o. N. M. Quia voluntas potest immediate excitari ad odium peccati, nullo præcedente amore absoluto et efficaci boni oppositi; cum sola peccati malitia immediate motiva sit odii, actusque odii sit in se immediate liber, adeo ut a voluntate fieri et cohiberi possit seorsim ab alio actu voluntatis libero præcedente.

Ad textum Aug. R. D. Desiderium peccandi non extinguitur contrarie, nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur *T.* non extinguitur contradictorie aut simpliciter *N.* Præterea *S. Doctoris* scopus, quem hic per totum cap. spectabat, fuit duntaxat ostendere, Legem Veterem, quamvis bona et sancta fuerit, quia tamen ex se gratiam adjuvantem non habebat, sed duntaxat mandatum et legem prohibentem, non fuisse medium sufficiens ad impediendum peccatum, sed potius occasionem peccandi; contrarium autem ob rationem oppositam esse in *Lege Nova*: unde mox subjungit: *Hoc autem non præstat littera jubens, sed spiritus juvens; non lex ergo, sed gratia; non Vetus Testamentum in servitum generans, quod est Agar, sed Novum in quo non sunt ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Quibus verbis sicut non excluditur universim omnis gratia et amor salutaris a Veteri Lege; sic nec per verba objecta excluditur alius modus extinguendi desiderium peccati.

R. 2^o. N. min. Quia timor non minus ad justitiæ amorem quam ad injustitiæ seu peccati detestationem inducit. Cum enim timore gehennæ intentatæ percussus, videat se non posse pœnam illam evitare, nisi amorem injustitiæ exuat, et induat amorem justitiæ; proxime et efficaciter movetur ad detestandam injustitiam et justitiam amandam.

Ad textum Aug. D. Non poterit odisse peccatum et diligere justitiam ex timore serviliter servili *C.* ex timore simpliciter servili *subd.* si tantum sit a lege terrente *T.* si simul sit a gratia, quæ ipsa etiam sæpius ad timorem datur *N.* Sermonem hic fieri de timore serviliter servili, constat e præmissis *n. 4.* ubi dicitur: *Etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* Et postea: *In ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest*

feri etc. Cæterum in utraque responsione aliquid transmisimus; quia alibi examinatur, an peccatum vitari possit sine gratia divina aut charitate.

270. *Nec dicas* 6°. Quæ aguntur pure ex metu, secundum se spectata sunt involuntaria, prout vero hic et nunc aguntur, sunt voluntaria, atque adeo ex utroque mixta; ergo agens pure ex metu voluntatis actum conjunctum et præsentem habet, quo nollet facere, nisi impendentis mali metu cogeretur. Utrumque ostenditur ex AUC. in Comment. ad epistolam ad Galat. n. 43. *Qui per charitatem servit libere servit obtemperans Domino, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur; et superius: Timore ista implere cogebantur.*

R. D. A. Quæ fiunt ex metu, sunt involuntaria quoad affectum efficacem N. quoad affectum inefficacem *subd.* si affectus etiam tantum inefficax obstat fini per actionem vel omissionem ex metu imperatam obtinendo N. si non obstat C. Porro patet, ex dictis, affectum peccati inefficacem etiam obstare fini intento a metuente gehennam. *Tectus* AUC. agit de specie timoris cum voluntate peccandi interna conjuncti, licet exterius a peccato abstinens, de qua nobis sermo non est, neque ad nostram materiam est transferendus; cum TRID. Sess. 14. cap. 4. contra Novatores simili argumento utens dixerit: *Falso docent, contritionem, quæ attritio dicitur, et ex gehenna ac pœnarum metu concipitur, esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam; et can. 5. definierit: Si quis dixerit... illam, nempe attritionem ex metu pœnarum conceptam, esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium: anathema sit.*

ARTICULUS III.

AN DETUR IN HAC VITA PERFECTIONIS STATUS, IN QUO ACTUS SPEI THEOLOGICÆ NON SIT NECESSARIUS, AUT LOCUM NON HABEAT?

271. *Nota I.* Supponimus 1°. spem esse necessariam necessitate *medii*: tum quia hoc sequitur ex necessitate fidei, utpote quæ foret inanis sine spe, unde ad Hebr. 11. definitur in ordine ad spem, et frequenter in Scriptura cum spe conjungitur: tum quia partim adultus peccator sine spe justificationem obtinere nequit; cum illa inter necessarias ad hanc dispositiones a TRID. Sess. 6. cap. 6. fuerit numerata: partim quia justus, seclusa spe, gratias ad perseverandum in bono necessarias nec postulare, ut par est, nec proinde assequi valet. 2°. Eandem esse necessariam necessitate *præcepti* tam naturalis quam divini. Præceptum naturale enim sequitur ex *primo* supposito; cum lex naturæ præcipiat, ut media ad salutem ac finem ultimum necessaria adhibeamus: divinum autem demonstrant tum expressa in Scriptura mandata Psal. 61. 9., Eccli. 2. 26., Ose. 13. 6., 1. Petr. 1. 13.: tum prop. ab ALEX. VII. damnata: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.* 3°. Spei præceptum *negativum* obligare pro semper; *affirmativum* autem aliquando per accidens. Prius enim docet ipsa negativi præcepti conditio, et materia etiam præcepti exigit, quæ est desperatio motivo spei opposita, et temeraria præsumptio nunquam licita, tanquam intrinsece mala: posterius declarat tum speciale præceptum spei obliga-

tionem eliciendi hujus actus per se, tum ejus ad alia virtutum necessaria-rum exercitia necessitas obligationem illam per accidens inducens.

272. *Nota II.* Necessitatem ejusmodi negarunt exorti superiore seculo novi Mystici, a quiete ac indifferentia animæ dicti *Quietistæ*, qui certum perfectionis et amoris statum confinxere, ubi spes locum habere nec possit nec debeat. Auctor hujus doctrinæ, spurcissimis erroribus amplius depravatæ, fuit *Michael de Molinos*, presbyter Hispanus, in pago Maniozzo Diœcesis Cæsaraugustanæ in Aragonia an. 1640. natus, et Romam an. 1665. profectus: ubi sermone, litteris et libro *Dux spiritualis* inscripto, perniciosam mysticæ suæ scholæ dogmata sparsit, postmodum non in reliquam duntaxat Italiam, sed et in Hispaniam et Gallias perlata. Eorum *quasi principium* erat, internam viam seu vitam spiritualem stare in annihilatione potentiarum animæ, quæ in nullo se debeat active gerere; in perfecta cum Deo unione, quam anima, illa annihilatione ad principium suum et originem redeundo, consequatur; in totali sui derelictione et traditione, qua Deum solum omnia agere sinat, et quæcumque circa se fieri non curet. Inde inferebatur 1°. studendum unice orationi quietis tanquam perfectissimæ, in qua per fixum fidei intuitum, qui sit cognitio à Deo solo creaturæ tradita, habeatur contemplatio Dei sub conceptu universalissimo, et excludatur tum omnis reflexio, discursus et operatio mentis, tum voluntatis etiam quicumque affectus pius; absitque tum memoria attributorum Dei, Trinitatis et Humanitatis Christi, tum phantasia imaginum, figurarum et specierum quarumcumque etiam sanctarum. 2°. Nihil a Deo petendum, et hinc etiam pro nullo gratias agendas; nullam ullius rei etiam virtutis, perfectionis, sanctitatis et salutis propriæ curam habendam, et hinc ab actibus virtutum et operibus bonis, ex propria electione et activitate factis, abstinendum; non reflectendum ad dubia quæ de opere occurrunt, aut ad proprios etiam defectus, et hinc confessionem ac pœnitentiam omittendam. 3°. In tentationibus tam solarum cogitationum quam operationum, sive dæmonis instinctu a proprio corpore, sive sollicitatione aliena factarum, nec externe nec etiam eliciendo actus virtutum oppositarum, interne resistendum positive, sed tantum negative et in sua annihilatione permanendo. Ne citius doctrinæ hujus perversitas, et ex ejus praxi renovata antiquorum *Gnosticorum* impuritas detegeretur, fecit tum ambiguus Magistri in docendo sensus, et hypocrisis in agendo famam pietatis et auctoritatem adeptæ, tum discipulorum nequissima arcani observatio. Demum tamen indicis captis, an. 1685. *Molinos* cum duobus fratribus germanis cognomine Leonibus Romæ inopinate detentus, ejus doctrina 68. propositionibus comprehensa, anno 1687. die 28. Augusti, Bulla, quæ incipit: *Cælestis Pastor*, tanquam hæretica, suspecta, erronea, scandalosa, blasphemata etc., ipse vero ad carceres perpetuos 3. Sept. ab INNOC. XI. damnatus fuit; ubi editis pœnitentiæ ac resipiscentiæ signis, cum jam ante errores suos abjurasset, tandem 1696. obiit.

Venenum *Molinosismi* quoad partem aliquam suxerat in Gallia nobilis quædam Domina *de Guyon* nuncupata, corruptamque de vita spirituali ideam variis manuscriptis prodiderat; quæ cum ad manus Benigni *Bosuet*, Episcopi Meldensis, pervenissent, is, edito de Statibus Orationis libro, illusionum hujusmodi fallacias aperire, et mala inde oritura prævertere est